DE DOCHMIO QUID TRADIDERINT VETERES.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

PRO SUMMIS

IN PHILOSOPHIA HONORIBUS RITE CAPESSENDIS

D. XVII. M. DECEMBR. A. MDCCCLXIII. HORA XI.
IN AUDITORIO MAXIMO
H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

GUILELMUS KUEHNE

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

GUIL. STUDEMUND, DR. PHIL. DES.
ANT. SEYFFERT, DR. PHIL. DES.

HALIS SAXONUM.
FORMIS PLOETZIANIS.

CAROLO KUEHNE

BORUSSORUM REGI AB INTIMIS CONSILIIS
EQUITI CETT.

S

Postquam plures iique doctissimi uiri uersuum dochmiacorum rationi usuique explicando et inuestigando non uilem operam inpendere, temere aliquis factum esse existimauerit si minimis doctrinae praesidiis reique metricae ualde exigua scientia instructus argumentum tam arduum difficileque adgressus aliquid praestiturum me esse speraui. sed ne quis suspicetur hanc me prouinciam fretum paribus rei tractandae uiribus suscepisse. nemini enim magis persuasum est quam mihi humeros infirmissimos esse tanto oneri ferendo. sed si accuratius rem spectaueris, uidebis ipsam artem metricam interdum idque rarius modo me adtigisse: peculiaris uero in qua uersatus sum palaestra critica est et exegetica in qua si quid proprio Marte recte et feliciter diuinasse iudicabor uel satis ex hac mea opella utilitatis redundare confido. itaque cum hic illic nouum quiddam deprehendisse mihi uiderer quantulumcunque fuit aliquamdiu superbii maioris momenti esse inuentum quam reapse est. quam excusationem ut in aliis sic in me ualere posse opinor. quare quod habeo confidenter laetoque animo expromam: his enim praemissis haud uereor ne quis in superbiam adrogantiamue uertat quod hasce quisquilias litteris mandare ausus sim.

Uersus dochmiaci cum in antiquis Graecorum tragoediis saepissime inueniantur, iam ueterum et musicorum et metricorum oculos animosque in se multum conuerterunt. etsi dolendum est ab uetustissimis rei musicae scriptoribus qui et ipsi summa huius scientiae cognitione laudeque florebant, minus quam par sit tam grauis uersus rationem tractatam esse. probabile enim est si musicorum hac de re disquisitiones plures aetatem tulissent, uersum nostrum prius iam ueram explicationem nancturum fuisse.

Seidlerus in libro 'de uersibus dochmiacis' (1811) qui primus nostro saeculo ineunte summis Godofredi Hermanni in rem metricam meritis inpulsus quaestionem de hoc metro denuo mouit, cognouerat iam l. l. prooem. p. VI parum certam in ratione huius metri explicanda grammaticorum siue ueterum siue recentiorum esse fidem atque plerosque quidquid de eo disputassent temere magis statuisse quam re explorata praecepisse. attamen uir hic doctissimus non minus quam pater ille ut ita dicam artis disciplinaeque metricae ueterum traditionem nimis neglexit nihil ratus fructus ex illis ad nos redundare posse. cumque hac de re usque adhuc obiter tantum disputatum sit et ita ut non omnia quae ad rem pertinent exposita sint, haud alienum uidetur hac commentatiuncula placita ueterum et rei musicae et metricae tum graecorum tum romanorum scriptorum in censum uocare et accuratius persequi. namque nostro quoque argumento tractando idem conuenire arbitramur quod A. Rossbachius (ind. lectt. aestiu. Uratislau. 1857 p. 4) de enoplio uel prosodiaco dixit, omne metrum tum demum uere inlustrari cum luculenter ac perspicue quid de eo ueteres tradidissent intellectum sit. inde autem nescio an alius quis fructus capi queat praesidiumque ad dochmium melius perspiciendum et ad iudicandum quantopere ea quae priores statuerunt grammatici a posterioribus saepenumero in prauum detorta sint.

Conmentationis nostrae hinc initium ducere consentaneum uidetur ut primum de nomine dochmii dicamus. quam rem ulterius persecuturi semper Platonici (Soph. p. 218 c.) illius memores erimus *δεῖ ἀεὶ παντὸς πέρι τὸ πρᾶγμα αὐτὸ μᾶλλον διὰ λόγων ἢ τοὔνομα μόνον συνωμολογῆσθαι χωρὶς λόγου.* in enarrandis igitur antiquis explicationibus huius uersus eam tum uiam ingrediemur ut incipientes ab locis eorum scriptorum qui de nomine numerique ui ac natura consociatis exposuerunt ad ceteros pergamus qui de metro solo egerunt. in ordine autem constituendo subinde a temporum rationibus nobis recedendum erit ubi grauiora testimonia posterioris aeui veluti primo statim loco aetatem tulerunt.

Uocabulum *δοχμίου* deriuandum esse ab *δοχμός* idque a

δέχομαι, ueteres iamiam uiderunt grammatici quandoquidem Etym. Magn. *δοχμήν* explicat *τὸ τετραδάκτυλον τῆς χειρὸς παρὰ τὸ δέχεσθαι* ita ut sit *τὸ δεκτικὸν μέρος*. neque non Homerus Il. *M* 148 usus est illa uoce dicens

δοχμώ τ' ἀΐσσοντε περὶ σφίσιν ἄγνυτον ὕλην. cf. *Ψ* 116. Hesychius autem *δόχμια* statuit esse eadem ac *πλάγια λοξά* atque Nicander Ther. 478 ait

φεῦγε δ' ἀεὶ σκολιήν τ' οὐκ ἰθέαν ἀτραπὸν ἴλλων
δοχμὸς ἀνακρούων θηρὸς δρόμον.

sunt itaque *σκολιά* et *δοχμά* synonyma quibus obponitur *ἰθύς*. uerum etiam Etym. M. (Gaisf.) s. u. *ΔΟΧΜΙΑΚΟΣ* de uocabuli huius etymologia addit huc quiddam quod a uiris doctis qui de illo loco exposuerunt silentio praetermissum miror. scriptum enim illic uidemus: *δοχμιακὸς εἶδος μέτρου ἀντισπαστικοῦ. ἔστι δὲ μονόμετρον ὑπερκατάληκτον· οἷον*

ἐγὼ δ' οὔτε σοί.

ἔστι δὲ Εὐριπίδου Φοινισσῶν (347 Witzsch.). *πολλὰ δὲ ῥυθμῶν ὀνόματα καὶ ἄλλα. ἀτὰρ δὴ καὶ ταῦτα ἴαμβος ἰαμβικός δάκτυλος δακτυλικός.* de iis quae subsecuntur infra pluribus dicetur. at uero hic haec satis sint. nec dubito quin uerba inde ab *πολλὰ* usque ad *δακτυλικός* siue unius siue plurium auctorum sunt hunc fere in modum accipi necesse sit: '*sunt etiam aliorum numerorum nomina multa eodem modo formata uelut ab iambo rhythmi sunt adpellati iambici ab dactylo dactylici.*' hohorum uerborum ad ueram quam inesse existimamus sententiam probandam laetor similem locum Isidori Hispalensis me repperisse cuius in Originibus I, 16 (de pedibus) haec leguntur: „metra pedibus accidunt ut a trochaeo trochaicum, a dactylo dactylicum a iambo iambicum de quibus postea dicendum erit."

Schol. ad Hephaestionem primum epitritum tribus cognominibus ornat *ἵππειος καρικός δόχμιος*. sitne dochmius idem atque epitritus ipse uiderit: non minus caret, puto, ratione quam Marius Plotius VIII 3 Gaisf. qui mediam dochmiaci penthemimerici partem hippium secundum esse prodit. sed quod cognomen *ἵππειος* Santenius ad Terentian. Maur. III 1551 adnot. p. 129 ab Hipye Rhegino dictum esse putat quem Suidas s. u.

῞Ιπυς praeter historias choliambum condidisse testatur id ut credam non adducor. nihil enim probabilius mihi uidetur quam cum ne etymologiae quidem praecepta ἱππειὸς ab ῞Ιππυς uel ῞Ιπυς deduci sinere uideantur uersum illum quisquis est nescio quo pacto a similitudine gradientis currentisue equi nomen accepisse: quae res plane confirmatur loco quodam Diomedis III 5, 21 molossum uel hippium ab aliis „canium" adpellari dicentis: tum: „hippius uero, inquit, equestri scilicet pugnae conueniens modulabatur." scilicet non est quod Santenius cognomen „canium" — quia „chanium" praebent codices — in „Chaonium" mutari uelit (ad Terent. Maur. p. 75). namque notum est aeuo medio pro c saepissime scriptum esse ch, unde uitiosissimae multarum uocum scripturae e libris scriptis in editiones migrarunt. porro canii cognomen eo etiam aptissimum molosso uidetur quod Molossorum terram canibus uenaticis abundauisse aperte testantur praeter alios Horatius (Sat. II 6, 114) et Vergilius (Georg. III 405). itaque si molossus canius uocatur quasi per metonymiam posterius nomen additum est.

Uox δοχμιακός a δόχμιος non aliter deriuata est atque ἡλιακός ab ἥλιος. quodsi multi libri scripti formam δοχμαϊκός exhibent uelut Demetrius Triclinius de metris Sophoclis ad El. 510. 1435. Ai. 881 aut si pro dochmio scriptum uidemus saepius dochimum — quod perperam seruauit Ernesti apud Cic. or. 64 cf. Quintil. instit. or. IX 4, 77 et 99 — quin dechimum dochiminum dociminum quae lectio sola in ueteribus Marciani Capellae editionibus ualet, facile adparet hanc scripturam uitiosam esse. perspexit iam Stephanus (thesaur. l. gr. append. u. δόχμιος), deinde Meibomius ad Aristidem Quintilianum p. 265. nempe δοχμαϊκός eodem modo uitiatum est ac σπονδαικός (et σπονδαίζω) — cf. schol. Persii Sat. I 59 et saepius legitur apud Psellum — pro germana forma σπονδειακός — schol. Aristoph. Uesp. 1441 —. ad hoc vox δοχμικός minus usitata occurrit apud schol. Aesch. Sept. 129.

Sed unde metrum nostrum dictum est oblicum? cuius rei ratio quamquam a nostra mentis contemplatione longius fortasse abesse uidetur Graecos tamen hanc loquendi consuetudinem adamasse pluribus exemplis confirmatur. quippe ueteres

grammatici saepius formis quas rectas uocabant obliquas obponebant ut *πλαγίοις πτώσεσιν* — *ὀρθάς* siue *εὐθείας* (Dionys. de conp. uerb. c. VI p. 149). et *λόγου πλαγιότης* (Choerobosc. uol. I p. 10, 20) idem erat quod grammatici romani dicebant orationem obliquam siue indirectam. item Eustathius (ad Od. p. 1574, 11) eandem rem uerbo *σκολιόω* significat: cuius haec sunt: *κατὰ τινὰ μελοποιίας νόμον ὃς οἷα εἰκὸς οὐ πρὸς εὐθὺ ἐμέλπετο ἁπλοϊκώτερος ἀλλὰ ποικίλως ἐσκολιοῦτο.* nec plane inprobandus Santenius qui nomen carminum illorum conuiualium quae Graeci *σκόλια* nuncupabant non cum Etym. M. a uacillatione ebriorum dicta uult sed ab obpositu rectorum numerorum et obliquorum. frustra igitur credo hic grammatici nodum in scirpo quaesiuerunt. *σκόλια* uidelicet non *ῥυθμοῦ ὀρθίου* sed *σκολίου* erant i. e. non coartata intra legitimos rei musicae metricaeue fines sed ea ut summa numerorum et modorum uarietas atque licentia in eis esset permissa. itaque uiro doctissimo Bergkio adsentior qui olim in scholis *σκόλιον* significationem *ποικίλου* continere dicebat quam rem uel extremis Eustathii uerbis confirmari quis est quin uideat?

Simili sensu nomen accepit dochmius. cuius rei locus nec grauior neque intellectu difficilior extat quam ille Etym. M. quem supra iam adtigimus. huic iuxta adscribere placet alterum quendam scholiastae Hephaestionei Saibantiani nuper patefacti de quo cf. diss. A. Rossbachii: 'de Hephaestionis Alexandrini libris' et: 'de metricis graecis disput. altera' ind. lectt. aest. Urat. 1858.

Hephaestio enim Alexandrinus quem altero post Chr. saeculo uixisse inter omnes constat in enchiridio suo quo summam artis metricae iis qui inperiti erant explanare studuit initio *κεφαλῆς ι περὶ ἀντισπαστικοῦ* p. 55, 10 (Gaisf. ed. I) habet haec: *καὶ ἔστιν ἐπίσημα ἐν αὐτῷ* (sc. *ἀντισπαστικῷ*) *τάδε· πενθημιμερὲς μὲν τὸ καλούμενον δοχμιακὸν οἷον*

κλύειν μαίετε
τὸν ἐγχώριον.

nequaquam animum inducere queo ut adsentiar Gaisfordio emendaturienti *μαίεται.* nam et illam dochmii formam (⏑ ⏗ ⏗ ⏑⏑) legi abunde patet ex Soph. Antig. 1321: *ἄγετε μ' ὅτι τάχος.*

Utroque loco — Etym. M. et schol. Heph. — collato facilius primo statim adspectu cognosces quae singula utriusuis scriptoris uerba sibi respondeant:

Etym. M.	Schol. Heph.
πολλὰ δὲ ῥυθμῶν ὀνόματα καὶ ἄλλα. ἀτὰρ δὴ καὶ ταῦτα ἴαμβος	*οἱ προειρημένοι ῥυθμοί ἴαμβος*
ἰαμβικός δάκτυλος δακτυλικός.	
παιών [1]) *ἐπίτριτος. οὗτοι μὲν οὖν ὀρθοί εἰσι ῥυθμοί. ἐν ἰσότητι γὰρ κεῖνται. ἣ* [2]) *γὰρ μονὰς πρὸς δυάδα ἢ δυὰς πρὸς τριάδα ἢ τριὰς πρὸς τετράδα* [3]).	*παιὼν ἐπίτριτος ὀρθοὶ καλοῦνται. ἐν ἰσότητι γὰρ κεῖνται. ἣ γὰρ μονάς ἐστι* (sic) *δυάδα ἢ δυὰς πρὸς τριάδα ἢ τριὰς πρὸς τετράδα.*
— *ἡ τριὰς πλεονεκτεῖται μονάδι.*	

ἐν τῷ δοχμιακῷ τριάς ἐστι πρὸς πεντάδα καὶ δυὰς ἡ πλεονεκτοῦσα. οὗτος ὁ ῥυθμὸς οὐκ ἠδύνατο καλεῖσθαι ὀρθός. ἐκλήθη τοίνυν δοχμιακός, ἐν ᾧ τὸ τῆς ἀνισότητος μεῖζον κατὰ τὴν εὐθείαν κρίνεται. καὶ τὸ μέτρον οὖν δοχμιακόν ὡς ἐμπεσόντων αὐτῷ τῶν ὀκτὼ χρόνων.

Nemo non uidet uerba e regione obposita eadem fere esse, sed aut utrumque locum aut alterutrum satis conruptum. cui conruptelae medicinam adferre primus conatus est A. Seidlerus in libro laudato addend. p. 401 sqq. qui haud dubie optime locum et intellexit et explicauit nec tamen emendare ausus est. primum enim uerba *παιὼν ἐπίτριτος* interpunctione disiungi iubet, porro legi *ἡ γὰρ μονὰς πρὸς δυάδα, ἡ δυὰς πρὸς τριάδα, η τριὰς πρὸς τετράδα πλεονεκτεῖται μονάδος.* ceterum probe notandum Gaisfordium in loco Etym. M. tractando (1848) plane neglexisse Seidlerum iam anno 1811 proposuisse *τετράδα*: quae res eo magis memoria digna est quod hic schol. Heph. adhuc ignorabat et tamen ueram lectionem inuenit. nec uidit praeterea Anglus eandem coniecturam quasi suam memorauisse

[1]) sic et *παιάν* cum Stephano thes. l. g. ed. Paris. semper scribendum scilicet quod puto hae uoces ex *παιήων* Apollinis cognomine ortae sunt. neque audiendus Suidas conminiscens: **παιᾶνος τοῦ ὕμνου παίωνος δὲ τοῦ ἰατροῦ.**

[2]) dedit ubique Gaisfordius pro *ἡ* codd. ex schol.

[3]) reposuit Gaisf. ex schol. ad Heph. pro *τριάδα* codd.

Santenium ad Terentian. Maur. adnott. p. 129. is uero rursus rationem loci nostri qualis olim a Seidlero erat emendatus duxisse non uidetur. — in una ea re Seidlerum sequi non possum quod dactyli rationem (⏑⏑ ¦ ⏑⏑ *δυάς ἐστι πρὸς δυάδα*) dedita opera censet Etymologum silentio transmisisse quoniam nimis esset aperta. alicubi enim huius rhythmici generis mentionem factam fuisse conligere liceat sine ulla dubitatione ex uerbis Etym. M. *δάκτυλος δακτυλικός* nisi forte haec postea altera manu interpolata esse arbitraris. sed de his postea uidebimus.

Secutus est A. Boeckhius hoc de loco disputans de metris Pindari p. 45. ac ne huic quidem cognitum fuit scholion illud Heph. conrexit autem uulgatam ita: '*ἡ τριὰς πρὸς τριάδα. ἡ τριὰς πλεονεκτεῖται μονάδος.* nisi lacuna est in loco quod etiam probabilius.' deinde addi uult [*ἐν*] *δὲ* [*τῷ δοχμιακῷ κτλ.*]. quas coniecturas etsi ingeniosissime factas esse persuasum mihi est tamen haud satis adsequor cur uir ille sagacissimus Etymologum hic *τριάδα πρὸς τριάδα* conmemorasse putet. hanc enim numeri rationem aut choriambum aut antispastum — mitto rariores alios qui effici possunt — exhibere liquet nec quid ii ad hunc locum inlustrandum ualeant uideo.

Boeckhium in loco Etym. emendando antecessit Santenius ad Terentian. Maur. p. 129 qui iam adfirmauit excidisse aliquid oportere. subplendum ergo esse *ἡ δυὰς πρὸς δυάδα ἡ δυὰς πρὸς τριάδα* eodemque modo pro *τριάδα* ubi hoc uocabulum redit scribendum *τετράδα*. 'cumque, ait, omnes numeri aequae siue dactylicae rationis aut duplae siue iambicae aut sescuplae siue paeonicae aut sesquitertiae siue epitritae *ὀρθοί* dicantur, in hunc uero nulla earum rationum cadat dochmius siue oblicus adpellatus est.'

Post curas denique haud contemnendas Gaisfordii cuius emendationes iam laudauimus quique primus cum locum schol. Heph. cognitum haberet, utrumque ex eodem fonte fluxisse quamuis tectius innuit, Rossbachius cuius opera quanta lux nostra memoria disciplinae metricae adlata sit nemo est qui nesciat, locum Etymologi emendandum suscepit ita (Metric. p. 551) ut utriusque loci uerba quippe quae unius et eiusdem

olim auctoris fuerint in unum coniungi adeoque ut opinor confundi uelit. et repetiuit hanc uiam ac rationem Westphalius in libro: 'die fragmente und lehrsätze der griechischen rhythmiker' 1861. scripseram iam quae supra leguntur cum sero huius libri copia mihi facta est. dolerem profecto nihil me adlaturum fuisse proprii peculi si tota mea opera in eo posita fuisset ut Etym. et schol. locos e regione sibi obpositos transscriberem. namque spero fore uti uel sic quamquam illa nouatio anticipata iam est restet aliquid quantulumcumque est quod minus displiceat. ratione uero quam uterque iniit quasi nouus quidam locus effectus est quem qualis ab iis restitutus prodiit genuinum germanumque fuisse persuadere mihi non possum. namque totius loci emendandi ac restituendi fundamentum iecisse uidetur scholion illud Heph. tum plura ni fallor et interposuerunt et mutarunt quae cur admota sint non uideo. meritone denique uiros illos subactissimi in re metrica iudici nimis libere nouauisse pauloque leuiorem uerborum qualia tradita extant rationem habuisse ipse uelim iudices. primum enim post uerba *ἐν ἰσότητι γὰρ κεῖνται* ex scholio in Etym. M. transtulerunt *καθὸ ἕκαστος τῶν ἀριθμῶν μονάδι πλεονεκτεῖται.* quae explicandi caussa adiecta esse quiuis facile persentiscat: qua re — sit uenia huic anticipationi — uel una probari existumauerim scholion quippe quod hanc glossam insuper praebeat recentius esse loco Etym. M. — deinde, recepta Boeckhii admodum probabili coniectura *δὲ*, pro *δοχμιακῷ* Etym. M. legi iubent *δοχμίῳ* caussa quod meminerim adlata nulla. porro uerbis Etym. .... *οὐκ ἠδύνατο καλεῖσθαι ὀρθός* suo ipsorum opinor arbitratu addiderunt *ἐπεὶ οὐ μονάδι πλεονεκτεῖται.* postremum ubi iterum recurrit *δοχμιακός* Etym. M. mutauerunt in *δόχμιος.* etsi igitur prorsus intellectum habeo tali modo locum nostrum optime iis quae proprie dicenda erant respondere neque infitias eo conmodissimum nunc esse cum ad legendum tum ad intellegendum, tamen haud scio an ita uiri illi sagacissimi interpretis magis quam critici partes egerint.

In Julii Caesaris libro qui eodem fere tempore ac Westphalii conparuit et huic saepius aduersatur ('die grundzüge der

griechischen rhythmik im anschluss an Aristides' 1861), ubi dochmii ratio rhythmica tractatur (p. 199—205) nihil ego quod ad meam rem enucleandam prodesset legi.

Si igitur licet aperire quod sentio primum quidem monendum uidetur Etym. M. quamuis si in uniuersum spectaueris nemo quin serius demum conpilatum sit quam scholion Hephaestioneum probe in dubitationem uocauerit, nostro tamen loco inlustrando maioris esse momenti auctoritatisue quam scholiastam. namque quae plura habet Etym. M. ea non ex schol. Heph. sumi potuisse luce puto clarius est quoniam schol. nihil habet unde Etym. M. ueluti *δάκτυλον* quem laudat haurire queat. idcirco Etym. M. utpote qui uetusto fonte accuratius usus sit inprimis in re critica exercenda adhibendus uidetur. maxima autem utriusque diuersitas in eo posita est quod Etym. M. quattuor, schol. Heph. tria rhythmorum genera profert. omisit quidem schol. genus quod alias siue tria siue quattuor laudantur numquam non conmemoratum uidemus. antiquitus enim iam memoriae proditum est ab aliis iisque et antiquissimis et spectatissimis rhythmicis tria ab aliis quattuor rhythmica genera numerari. uetustissimum triadis testimonium locus extat Platonicus de rep. III. p. 400 a Steph.: *ὅτι μὲν γὰρ τρία ἄττα ἐστὶν εἴδη ἐξ ὧν αἱ βάσεις* (idem est quod paulo ante dixit *ῥυθμούς*) *πλέκονται*, neque multo post diuinum illum philosophum Aristoxenus Tarentinus uir rei musicae et metricae longe peritissimus Aristotelis discipulus Theophrastique aequalis rem accuratius et enucleatius definiuit ita (*ῥυθμ. στοιχ. β'* p. 300 Mor. = p. 27 Feussn.): *τῶν δὲ ποδῶν καὶ συνεχῆ ῥυθμοποιίαν δεχομένων τρία γένη ἐστί, τό τε δακτυλικὸν καὶ τὸ ἰαμβικὸν καὶ τὸ παιωνικόν, δακτυλικὸν μὲν οὖν ἐστι τὸ ἐν ἴσῳ λόγῳ, ἰαμβικὸν δὲ τῷ διπλασίῳ, παιωνικὸν δὲ τὸ ἐν τῷ ἡμιολίῳ*, quarti autem generis primus quod traditum sit mentionem fecit Aristides Quintilianus de mus. I p. 34 Meibom. idemque Marcianus Capella de nupt. Philol. IX p. 192 Meib. quem hoc ipso libro plerumque paene ad uerbum expressisse ac subinde ampliauisse etiam Aristidem constat cuius utriusque uerba haec sunt:

Arist. Q.	Marc. C.
γένη τοίνυν ἐστὶ ῥυθμικὰ τρία. τὸ ἴσον, τὸ ἡμιόλιον, τὸ διπλάσιον. προστιθέασι δέ τινες καὶ τὸ ἐπίτριτον.	rhythmica uero genera sunt tria quae alias dactylica iambica paeonica nominantur, alias aequalia alias hemiolia[1]) duplicia. denique etiam epitritus sociatur.

quartum genus rhythmicum praeterea laudatur ab Quintil. inst. or. IX 4, 45 sq. Mar. Vict. p. 2484 P. schol. ad Heph. 11. Aurel. Augustin. de mus. II 11. Psellus ap. Morell. adnot. p. 300. —

Etsi uero trium generum numerum nouo quod uocauerunt *τὸ ἐπίτριτον* — uertit hanc uocem Meibomius 'supertertium' — seu sesquitertium paulatim auctum fuisse constat, fieri tamen non potest ut certius statuamus quonam temporis momento haec accessio conparata sit quisue fuerit auctor. sed cum Aristidem Quintilianum circa tempora Traiani Hadrianiue fuisse conpertum habeamus manifestum est spatio temporis inter Aristoxeni et Aristidis aetatem interiecto nouum nnmerum inductum esse. atque probabili coniectura uti nobis uidemur si quartum istud genus ideo esse additum (cf. Fortlage in Paulyi encyclop. s. u. 'Rhythmik' init.) existimamus ut analogia quaedam efficiatur cum quattuor uocum speciebus de quibus Plato l. l. ita: *ὥσπερ ἐν τοῖς φθόγγοις τέτταρα ὅθεν αἱ πᾶσαι ἁρμονίαι.* quin etiam conligere ausim diu demum post Aristoxenum genus sesquitertium a rhythmicis tum inuentum tum adiectum esse quoniam is plane et aperte atque consulto illud excluserit. quemadmodum enim dicit (p. 304 Mor. = p. 27 Feussn. rhythm. elem. II frg.): *τὸ δὲ ἑπτάσημον μέγεθος οὐκ ἔχει διαίρεσιν ποδικήν.* cui adstipulati sunt Godofredus Hermannus et Boeckhius (de metr. Pind. p. 24) quorum hic suo iure hunc rhythmum (sc. sesquitertium) ab aliis cum unum et continuum esse non posse animaduerterent eiectum esse contendit. — sed hac egressione quam tamen a proposito non nimis alienam duximus absoluta redeamus ad id unde deuertimus. quidnam sequi uolumus ex tota hac disputatione de opinionibus doctissimorum hominum locos illos sane memorabiles spectantibus quam

[1]) excidit puto 'alias'.

prolixius forsitan et fusius deduxerimus? nihil nisi ut demonstretur ab aliis minus ab aliis plus quam par sit emendatum esse, a plerisque immo ab omnibus ni fallor rationem quae inter utrumque grammaticum intercedit parum recte perspectam. probatum enim nobis uidetur Etym. M. et schol. Heph. licet ex uno fonte hauserint tamen aut iam ipsos parum scite auctore illo primario usos esse aut locos de quibus disserere coepimus nimis deprauatos ad nos delatos esse. attamen spero fore ut uia ante monstrata uel plurimi nobis adsentiantur loco Etym M. uerba antiquiora contineri dicentibus. ibi enim tria illa genera reperimus quibus an uerba et *ἰαμβικός-δακτυλικός* et *ἐπίτριτος* posteriore manu adscripta sint ualde dubito. id quod perspexisse iam uidetur Gaisfordius qui in sua edit. Etym. haec uerba uncis inclusit ratione non adlata. sed alia quoque uia reliqua est quae prima statim fronte nisi fallor multis magis etiam blandietur. quis enim satis certis rationibus pugnet contra si fontem atque originem utriusque loci his fere dicam constitisse uerbis: ..... *πολλὰ δὲ ῥυθμῶν ὀνόματα καὶ ἄλλα. ἀτὰρ δὴ καὶ ταῦτα ἴαμβος ἰαμβικός δάκτυλος δακτυλικός*, omnia autem quae secuntur a recentiore quodam grammatico profecta esse qui priore propositione parum intellecta sub nominibus *ἴαμβος ἰαμβικός δάκτυλος δακτυλικός* delitescere generum rhythmicorum mentionem sagire sibi uidebatur ideoque ex nescio quo antiquorum — fortasse ex Aristoxeno cuius in tertio *ῥυθμικῶν στοιχείων* temporum ingratia nobis erepto talia scripta fuisse a ueri similitudine plane non abhorret — sequentia subpleuit. cumque coniecturae locus relictus sit dubito an forte Heliodoro grammatico qui et ipse metricus praedicatur accepta referamus. quem Bergkius (in Mus. Rhenano a. 1842 p. 374—81) admodum probabiliter eumdem fuisse auguratus est quam qui ab Horatio Sat. I 5, 2 'rhetor' 'Graecorum longe doctissimus' comes denique itineris Brundisini memoratur cuique in enchiridio Hephaestionem saepius aduersatum esse constat. — quod tamen ad sequentia quae in Etym. leguntur adtinet mirum quantum prope omnes in restituendo laborauerint nec non interse diuersi discesserint: quippe in aprico omnium quattuor generum rationes numeris expressas aliquando lectas, post toto

loco mutilato ex parte deletas fuisse. nullo modo uero adduci queo uti auctorem dactylicam rationem aut praetermittere uoluisse aut re uera praetermisisse credam: mea mihi opinio nulla re magis confirmari uidetur quam uoce *ἐστί* quae nunc in schol. Heph. sensu non modo ipsa caret sed totam etiam reliquam sententiam peruertit. omnes qui adhuc de hoc loco disputauerunt *ἐστί* librarii uitio pro *πρός* legi putarunt: at equidem non dubito quin potius pristina scriptura fere haec fuerit: *ἢ γὰρ μονὰς πρὸς δυάδα ἐστὶν ἢ δυὰς πρὸς δυάδα ἢ δυὰς πρὸς τριάδα κτλ.* deinde autem *τετράδα* cum Seidlero conrigendum esse uel per se patet. sic explicatur quoque cur *ἐστίν* praeeunte quippe uocabulo *παροξυνομένῳ* accentum retinuerit. quae de mea coniectura subiunxi singularem et integrum archetypi uersum effecisse reor: librarius uero oculis aberrauit itaque excidit dactyli ratio numeris expressa. —

Cur igitur dochmio nomen inditum sit supra loco illo Etymologi copiosissime explanauimus. ibi enim aperte *ἀνισότης* laudatur quippe quae huius denominationis caussa sit. etenim obliqua et inaequalis ratio est quae inter arsin et thesin numeri intercedit. neque secus statuit Aristides Quintilianus de musica I p. 39 Meib. cuius haec sunt: *μιγνυμένων δὴ τῶν γενῶν τούτων* (sc. *ἰαμβικοῦ δακτυλικοῦ παιωνικοῦ*) *εἴδη ῥυθμῶν γίνεται πλείονα, δύο μὲν δοχμιακά. ὧν τὸ μὲν συντίθεται ἐξ ἰάμβου καὶ παιῶνος διαγυίου, τὸ δὲ δεύτερον ἐκ* (sic) *ἰάμβου καὶ δακτύλου καὶ παιῶνος. εὐφυέστεραι γὰρ αἱ μίξεις αὗται κατεφάνησαν. δόχμιοι δὲ ἐκαλοῦντο διὰ τὸ ποικίλον καὶ μὴ κατ' εὐθὺ θεωρεῖσθαι τῆς ῥυθμοποιίας.* eadem autem fere uerba paucis tantum mutatis expressit ut solet Marcianus Capella de nupt. Philol. IX p. 196 Meib. 'uerum haec genera cum permixta fuerint in speciebus numerorum primae species erunt istae quae dochmiacae nominantur e quibus prius quod fuerit hac lege conponitur ut sit ex iambo et paeone qui *διάγυιος* uocatur: hunc *ΛΥCΙΥΜ* (sic Meib.) posteriores Graeci cognominarunt. secunda est species quae ex iambo dactylico et paeone constare monstratur.' adparet autem Aristidem Quintilianum in dochmiis numerauisse etiam uersus glyconeos quos uocant hodie inter genus logaoedorum relatos. quare tamen hanc

conmixtionem admiserit ipse tectius modo significauit: aut ob similitudinem quandam exteriorem — uteruis quippe numerus si oculis spectaueris dactylo tantum interposito differre interse uidetur — aut quod equidem magis probauerim quia etiam glyconeum *δόχμιον* i. e. *ποικίλον ἄνισον* esse cum nimis inaequalis numerus morarum arseos et theseos interse esset animum aduertisse sibi uisus est. nec uero Hermannum (epitom. doctr. metr. ed. II § 460 p. 191 sq.) sequi possumus dicentem omnino a rhythmicis duo genera dochmiacorum uersuum constituta esse alterum cui proprium dochmii uocabulum esset inpositum alterum glyconeum qui uulgo uocaretur, cuius paenultima anceps facta esset basi excepta quique isdem syllabis constaret atque dochmii forma quam Seidlerus (l. l. p. 6) loco tricesimo (⁄.. ⁄.. | — ⏑ ⏑ — | ⏓ —). quae res, puto, recentioribus iisque subtilissimis Rossbachii (Rhythm. p. 151 sqq.) de basi quam dicunt disputationibus prorsus confutatur. simili autem uia ingressus est Boeckhius (de metr. Pind. 152) qui secutus Meibomium formam uersus ab Aristide mente conceptam, fuisse ait hanc et sic describendam: ⏑ –́ | – ⏒ – ⏑ –. porro si uir hic elegantissimus cum Meibomio Bacchii senioris locum et exemplum quibus de dochmio agitur huc referri iubet paulo longius ab eius sententia nobis recedendum est. cuius rei rationem infra uelim quaeras. R. Westphalius denique l. l. p. 119 de altero illo quod apud Aristidem occurrit dochmii genere speciem glyconei prae se ferente nihil lucis adferre se posse ait: haesitat an libris mss. conruptela subsit.

Caussam cur hic *παιῶνα* dicat *διάγυιον* Aristides ipse paulo post aperte proposuit. *διάγυιος μὲν οὖν* inquit *εἴρηται οἷον δίγυιος. δύο γὰρ χρῆται σημείοις* nec non ante p. 38 extrem: *παιὼν διάγυιος ἐκ μακρᾶς θέσεως καὶ βραχείας καὶ μακρᾶς ἄρσεως* ubi nemo non cognoscit eum contrariis arsis et thesis significationibus usum esse ac nos solemus utpote qui notiones harum uocum a Bentleio posteriorum romanorum metricorum placita secuto in artem metricam inlatas praeferre consueuerimus.

Huius uero Aristideae sententiae quam modo adduximus cum reliqua satis facilia intellectu sint quid tamen uox *σημεῖ-*

ον sibi uult? Feussnerus in excursibus quos rhythmicis Aristoxeni fragmentis a se editis subiunxit adhibito Aristidis alio quodam loco (p. 31 Meib.): *διαιρεῖται δὲ ὁ ῥυθμός..... ἐν δὲ κινήσει σώματος τοῖς τε σχήμασι καὶ τοῖς τούτων πέρασιν ἃ δὲ καὶ σημεῖα καλεῖται* — idem fere fuisse *σημεῖον* ac *σχῆμα* et utrumque vocabulum a corporis motu (*κίνησις* cf. Aristoxeni rhythm. el. p. 218 Mor. p. 7 Feussn.) ad numeri musici mensuram constituendam esse translatum putat id quod expressit nostro sermone: 'abgrenzungen, abgemeszene zeitfächer' et alias rectius 'taktttheile' sed melius etiam haec res inlustranda successit Westphalio l. l. p. 168 qui omnibus graecorum et romanorum metricorum qui huc referendi sunt locis acute excussis *σημεῖα* Romanorum 'percussiones' certas esse ostendit uersuum partes quae ab antiquis ludi magistris pedum digitorumue ictu notatae essent in quibus recitandis discipuli uocem altius eleuarent. quemadmodum igitur trimeter iambicus tria *σημεῖα* habuisse perhibetur sic *παιὼν διάγυιος* seu creticus duo: quorum alterum *θέσιν*, *ἄρσιν* alterum percutit quae cum ita sint quis dubitarit mecum diuidere ita

$\acute{\acute{-}}$ ⏑	$\acute{-}$
1 *σημεῖον*	2 *σημ.*

neque cum Feussnero l. l. p. 53 contra atque nos ut prior longa sola priori semeio signetur? namque iamiam inter ueteres constabat creticum nihil aliud esse quam dipodiam trochaicam cat. auctore schol. Heph. p. 173 Gaisf.: *διτρόχαιος.... ὁ καὶ κρητικὸς κατ' Ἀριστόξενον ἢ τροχαικὴ ταυτοποδία* (cf. Analecta gramm. ed. Keil p. 10). priores itaque ambae syllabae arsin quam nosmet dicimus exhibent, postrema thesin quippe quae catalexin subierit. sed ne sic quidem a Westphalio omnia dicta puto. ex propria enim coniectura addere ausim tum nostro tum forte aliis quoque locis *σημεῖον* eodem sensu accipi debere atque ictum apud nostros. cuius interpretationis illos ipsos cito locos quos notauit Westphalius: namque et Diomedes p. 471 et Terentianus Maurus u. 1343 ictum uocant quod Graeci *σημεῖον* nuncuparunt. idcirco si haec recte sese habent de cretico nihil praedicauit Aristides nisi duobus illum uti ictibus: quorum uter fuerit grauior tum demum firmiter opinor

stabiliri poterit cum docti uiri plane interse consentient quibus trimetri et iambici et trochaici locis grauissimum imponi oporteat ictum, quibus leuiores. —

Ergo in propatulo est perspicere uersum *διάγυιον* significare duorum temporum seu *σημείων*. id quod non intellexisse uidetur Marcianus Capella qui (p. 196 Meib.): 'paeon, ait, *διάγυιος* adpellatur ex longa positione (*θέσις*) et longa elatione (*ἄρσις*).' hunc uero rhythmum neque per coniunctionem i. e. per synzugian nec per periodum accedere. 'inde, pergit, *διάγυιος* quidem dictus est quasi duplicia membra discernat'. sed propius ad ueri similitudinem accedit culpam non tam inbecillae Marciani intellegentiae quam textui praue tradito adtribuendam esse id quod uel ex Aristidis quae adscripsimus uerbis certo certius constat: in hunc dumtaxat locum nihil quadrat quod Westphalius (l. l. p. 17) dixit, Marcianum subinde melioribus Aristideis codicibus iisque esse usum qui plura quam nostri hodie continerent. — sed quid quaeso hic tam mirum? nihil facilius potuit fieri quam ut exciderent scribae uitio uerba ex Aristide conuersa 'et breui'. quibus suo loco intersertis nihil obscuri restat itaque procul dubio restituendum 'ex longa positione et breui et longa elatione'. hoc de loco aperte manco nihil conmemorasse qui extremus usque ad id loci hunc scriptorem publici iuris fecit U. F. Koppius (Francof. ad Moen. 1836) admiror. is quidem secutus uidetur alios nec melioris notae codices quam Meibomius; dedit nempe priore ubi dubia *διάγυιος* uox legitur loco de quo modo exposuimus (§ 989 Kopp.): 'quorum unus paeon *διπλάσιος* adpellatur', altero paulo post: 'inde *διπλάσιος* quidem dictus est', tertio denique (§ 990 K.): 'ut sit ex iambo et paeone qui *διατόης* uocatur.' Meibomius nimirum tribus his locis scripsit *διάγυιος* quae sola recta lectio haberi potest. editio princeps Vicentina (1499) prioribus duobus locis *διπλάσιος* praebet, postremo *διατόης*. item quae subsecuta est ed. Mutinensis (1500). Hugeianus uero Grotius in edit. Plantiniana Lugdun. B. 1599) — quacum passim ni fallor mire congruit Vulcanii ed. Basil. (1577) — tertio tantum loco a superioribus discrepat ubi de sua ipse coniectura uidetur pro Meibomii 'qui *διάγυιος* uocatur'. in 'februis' saltem

quo singulari titulo adnotationes suas criticas honestauit nihil adleuit nisi: 'MS qui *διατόης*'. quae tametsi ita se habent haud dubito cum Meibomio quem in suis codicibus *διάγυιος* legisse pro explorato habeo hoc uocabulum recipere etsi nusquam nisi apud Aristidem illo loco inuenitur. omnes autem ceterae lectiones quarum *διατόης* ne uocem quidem graecam exhibet ab ignaris librariis monachisue profectae sunt quibus, id quod usu uenerat, fortasse pro poena peccatorum ut Marcianum describerent inperatum fuit — his nimirum contextus integritas susque deque fuit — aut simili nescio quo modo inrepsisse putandae sunt. nec non Westphalius (l. l. p. 59) eamdem probauit lectionem probatam recepit. lectio *διπλάσιος* omnino reiciatur oportet: id uel inde abunde patet quod Westphalius (l. l. d. 186) plane ostendit tris demum *χρόνους* i. e. *σημεῖα* seu percussiones efficere *πόδα διπλάσιον* cum supra Aristidem enucleate *παιῶνα διάγυιον* duobus modo *σημείοις* constare dicentem audierimus.

Sed ne nunc quidem hunc Marciani locum relinquere debemus. maior enimuero ei difficultas conruptelaque subesse uidetur. nam quid uocabulum illud *ΛΥCΙΥΜ* a Meibomio sic exaratum sibi uult? ac primum quidem prorsus persuasum habeo Meibomium haud temere ita legisse sed secutum ut dixi codices non sublestae fidei de quibus cum ipse tum C. F. Hermannus in praef. ad Koppii edit. paucis egit. in ueterrimis autem quae extant editionibus longe diuersas lectiones reperies: in edit. princ. 'hunc *διάτομον* posteriores Graeci cognominarunt' itemque in editt. Mutin. et Basil. ad Plantinianae textum licet exhibeat eumdem subiunxit Grotius in februis haece: 'C. F. *διάτομος*] uocatur hunc *λύκειον* posteriores Graeci cognominarunt.' litteras illas initiales C. F. Koppium non magis quam me intellexisse suspicor. is demum ex cod. Darmstattensi scripsit 'creticum'. nuper uero Westphalius (l. i. p. 59) cum Aristide Capellae edidit uersionem: is uerba posuit sic: 'hunc *ΛΥΣΙΥΜ*, posteriores creticum cognominarunt'. ceterum non sibi constitit hic uir ille doctissimus qui in praef. p. XI dixit se in uersione Capellae reddenda fideliter Meibomii uestigia pressisse et sicubi qua emendasset cuius rei occasio nimis saepe

adrisisset accurate uncis inclusa adposuisse. hoc certe loco nullo scriptorum librorum nixus praesidio in unum coniunxit lectiones Meibomii et Koppii: aegre uero ferendum quod Westphalius huic loco tam difficili intellectu et ad rem criticam firmando et inlustrando nihil adiecit. praeclare opinor huc quadrat quod abhinc centum et quinquaginta annos *ὁ κριτικώτατος* ille Anglus R. Bentleius in praef. p. VIII ad Horatium scripsit: 'ut enim stulta eorum superstitio est qui nihil quidquam in contextu nouari uolunt manifestissimum sit liceat certissimumque, ita rursus inprobanda est et non ferenda aliorum fiducia qui clam inmutare quidquam et interpolare audent neque lectorem de ea re uel uerbo admonent'. — ceterum haud nimis longe a ueri similitudine abhorret *ΛΥCΙΥΜ* ex scholio quodam Aristidi adlito ab Marciano transscriptum esse (cf. Westph. l. l. p. 17).

Verumtamen, utut est, Westphalii scriptura noster demum locus optime legi et perspici potest. sed quid *ΛΥCΙΥΜ*? notum quidem C antiquiorem ductum litterae *Σ* esse. at quid hoc proficimus? nemo itaque credo offenderit si *Λύσιον* uel potius *Λύκιον* conicere malim, Grotium autem nimis temere *λύκειον* scripsisse rear. qua de re uide annon mecum facias. itaque primum de ceteris lectionibus nostraque qua nulla magis tibi adblandiatur uideamus coniectura, deinde de ipsa sententia.

Equidem censeo tres illas lectiones *διπλάσιος* et *διατόης* et *διάτομος* cunctas esse detortas ab Aristidis *διάγυιος*. fieri sane potuit ut *διπλάσιος* tamquam magis tritum et usitatum i. e. glossa adspergeretur uocabulo *διάγυιος* perinde atque ut uno defungar exemplo apud Horatium carm. II 16, 17 'fortes' glossa pro 'sontes', ubi Bentleius egregie quae nostro quoque loco conueniunt haec adnotauit: 'unde enim librariis tam reconditum uocabulum nisi ab ipso Horatio? certe id genus hominum uix umquam conmunia uerba delet et rariora substituit'. etenim constat nihil eos magis adamauisse quam ita bona saepe fide fraudem textui inferre. — *διατόης* autem ex *διάτομος* deprauatum esse manifestum est. at unde *διάτομος*? luce hoc clarius. nimirum in memoria adhuc haerebat librariis utpote quibus bis iam apud Marcianum ea uox obuenisset:

dico §§. 738 et 864 K. utroque enim loco Capella *φάσιν* lunarem quandam quam dicimus, eamque alteram 'mediluniam' *διάτομον* adpellauit quae eadem in Theologumenis arithmeticis (ab Astio editis Lips. 1817 p. 45) *διχότομος* nec secus ab Ammiano Marcellino (XX 3 p. 257 Gronou.) uocitatur.

Meibomii igitur scriptura nulla re magis stabiliri uidetur quam Grotii coniectura. est enim et ea ipsa documento hunc simile quid in codicibus repperisse sed praua emendaturientium prurigine ductum statim emendasse. uehementer autem dolendum neutrum quid praeberent libri mss. plane et adcurate significasse. nec denique Koppium: cuius lectio 'creticum' sola glossam puto olet praesertim cum ne auctoritate spectati cuiusdam libri commendetur. Grotii coniecturam aliquam ueri speciem prae se ferre non nego. nemo enim ignorat *λύκειον* esse Apollinis cognomen quod Eustathius (ad Il. p. 354, 16) deo a Lycia inpositum esse narrat, Porphyrius (de abst. III 17 p. 253) a lupis interfectis. porro autem a multis uersus creticus i. e. *παιὼν διάγυιος* seu si placet *λύκειος* praecipue in paeanibus quod poesis genus principio proprium et peculiare Apollinis fuit usurpatus fuisse traditur. haec enim carmina uel rhythmi iam in hymno qui falso praeconio homericus uulgo uenditatur (in Apoll. 518: *οἷοί τε Κρητῶν παιήονες*) apud Cretenses usitatissimi fuisse dicuntur. cuius rei amplissima testimonia suo quaeque loco luculenter disposita inuenies apud Bernhardyum: hist. litt. graec. (edit. II) II 1 p. 551. 531. 519. 520. — *Λύσιον* scripturam tum demum probarem si aliud nihil praesto esset. est enim et haec uox Bacchi cognomen eiusdem sensus ac *Λυαῖος* inque libris haud raro cum '*Λύδιον*' confunditur (cf. Plut. Mor. p. 68 D. Symp. p. 613 C.): quo tamen nihil puto proficimus. maxime uero tibi nisi fallor *Λύκιον* blandietur quod et litteris leuius flexis et sensu habet quo oppido sese conmendet. uniuersum quippe cultum paris illius diuini Apollinis et Dianae Prellerus in libro de mythol. graec. (edit. II) tom. I p. 183. 193 luculenter et perspicue tum e Lycia Asiae regione et quidem quam Xanthus flumen percurrit, tum e Creta insula in propriam Graeciam translatum fuisse ostendit. quid igitur ueri similius quam metrum quod principem et quasi

proprium suum locum in hymnis sive paeanibus Apollinaribus obtinuisse certo certius est duo sensim accepisse nomina ab utraque unde huius numinis cultus initium duxit terra? id est, ut rem duobus uerbis peruincamus, eum a Creta creticum a Lycia lycium (*Λύκειον*) esse denominatum. iam uides quamobrem Westphalii emendatio admodum placuerit. nam ea non admissa quid diceret Marcianus? nomen *Λύκιον* a posterioribus demum Graecis paeoni diagyio esse inditum. quae explicatio quam parum habeat conmendationis quis est quin uideat? tota autem haec disputatio prius non plane firmabitur quam codices Marcianos reuera diligenter excussos ac dispositos et textum emendatiorem habebimus quam Koppio praematura morte abrepto praestare licuit. uerum sperandum fore ut Eyssenhardtius (diss. inaug. Berol. 1861) operam cui semel se accingere coepit non incohatam relinquat.

Iam M. Tullius Cicero uir ille eruditissimus Romanorum neque expers artis disclipinaeque qualis tum uigebat metricae in libello qui inscribitur 'orator' ad M. Brutum siue de optimo genere dicendi dignus est qui laudetur. in hoc enim, scripto anno a. Chr. n. sexto et quadragesimo, quo exposuit quae esset optima species et quasi figura dicendi, ubi de numero in pedestri oratione adhibendo disserit (c. 64. fin.): 'dochmius, inquit, e quinque syllabis breui duabus longis breui longa ut est hoc

'amicos tenes'

quouis loco aptus est dum semel ponatur: iteratus aut continuatus numerum apertum et nimis insignem facit.' — habes igitur formam uersus dochmiaci qualis primaria ducitur (⏑ – – ⏑ –). nec uero expers est haec Ciceroniana interpretatio posterioris metricae rationis qua utebantur etiam Romani utpote qui non tam *χρόνων* siue morarum rhythmicaram — quae subtilius quoddam animi et aurium acumen desiderat — quam syllabarum rationem conputarunt. unde tamen hauserit Cicero quae memorauit de dochmio coniectura modo diuinare licet. Jahnius (in sua ed. II praef. p. 25) plurima id genus Tullium ut solet ex uno Graecorum quos plures laudat Theophrasto Eresio *περὶ λέξεως* sumpsisse statuit. discernere autem uidetur Cicero dochmium a pedibus siquidem paeana quoniam plures habeat

syllabas quam tres numerum non pedem haberi dicit. sed si Jahnius ad hunc locum secundum interpretationem Ciceronis pariterque Quintiliani quem laudat et dochmium et paeana ut κῶλον μετρικὸν duobus pedibus conpositum fuisse arbitratur, id certe etsi nihil est ad rem e Ciceronis uerbis non liqueat. cadit autem in Quintilianum qui l. infra l. §. 80 aperte: 'quidquid, ait, enim supra tris syllabas id est ex pluribus pedibus.'

Ciceronis hoc in pede describendo uestigia presse legisse uidetur Caesius Bassus quem alias Westphalius l. l. p. 13 in re metrica tradenda Heliodori placita secutum esse contendit. quapropter continuo eum subiungimus praesertim cum de ipso Basso non confundendo cum amico illo Persii poetae cui sat. VI inscripta est eiusque aetate ne coniectando quidem certi quidquam inueniri possit. in huius arte de metris II 27 Gaisf. haec leguntur: 'his (sc. tetrasyllabis pedibus) multi adiciunt unum pentasyllabum dochmium qui constat ex breui duabus longis et breui et longa ut 'senatoriae' et ut idem Cicero (l. l.) posuit 'amicos tenes.'

Jam uero non praetermittendus insignis M. Fabii Quintiliani locus libri IX 4, 79 institutionum oratoriarum quas exeunte primo aerae Christianae saeculo conscripsit. is ubi de numero in orationem cadente loquitur haec: 'et quidem Ciceronem sequar — subaudi locum de quo modo diximus — nam is eminentissimos Graecorum est secutus excepto quod pedes mihi trisyllabos non uidetur excedere: quamquam ille paeone dochmioque quorum prior in quattuor secundus in quinque excurrat utatur.' nec multo post eodem capite §. 97: est et dochmius qui fit ex 'baccheo et iambo uel iambo et cretico' (i. e. Aristidis παιὼν διάγυιος) 'stabilis in clausulis et seuerus.' — en habes formam dochmii quam et nos fontem omnium constituere consueuimus: quin etiam testis plerumque citatur Quintilianus eius rei quod hic uersus ῥυθμὸς μεταβάλλων sit (cf. Rossbach. et Westph. Metr. p. 552 sq.). quae opinio utrum seruanda an abicienda sit in medio nunc relinquamus. ex his autem quae adtulimus abunde constat perspicue Quintiliano rectam dochmii formam et mente conce-

ptam et cognitam fuisse. neque contradicunt ea quae post duas paragraphos legis in editt. §. 99: 'sicut anapaestus et creticus, iambus quoque, qui est utroque syllaba minor, (praecedet enim tres longas breuis) et spondeus iambo recte praeponitur:

iisdem in armis fui.

tum spondeus et baccheus. sic enim fiet ultimus dochmius

in armis iisdem fui.'

aliquam seu maiorem seu minorem conruptelam subesse ut iampridem exploratum est ita uel primo statim adspectu suspiceris. et ipse Spaldingius fatetur uulgatam sensu plane carere: nec Bonnellius in sua editione quae recentissima conparuit quidquam nouauit. at ubinam latet uitium? dicerem — cum in loco adeo profligato nihil non emendaturienti licitum esse opiner — et auctorem lapsum esse et codices labis non inmunes. ac primum quidem uidelicet Quintilianus uerba quae uersibus exempla adiunxit ex Ligariana Ciceronis petiuit: illic uero (III 9) nunc ex Halmii recensione ita leguntur: 'isdem in armis fui.' his uerbis ut exemplis duorum numerorum bis usus est. unde uel non obscure intellegas ea non usurpari potuisse nisi aut ordine uerborum inmutato aut uerbo subpresso. sed omnibus his rationibus numquam multum profecissem nisi felici sane et ingeniosa amici Guilelmi Studemundi coniectura adiutus essem. is enim addito 'praecedere potest,' quod ante 'praecedet' facillime intercidit, et interpunctione mutata totum locum ita conformauit: 'Potest, etiamsi minus bene, praeponi (sc. spondeo in enuntiatorum clausulis) anapaestus:

muliere non solum nobili uerum *etiam nota*.

sicut anapaestus et creticus, iambus quoque, qui est utroque syllaba minor, *praecedere potest* (sc. spondeum in clausulis): praecedet enim tres longas breuis. Et spondeus iambo recte praeponitur:

iisdem in *armis fui*;

tum spondeus et bacchius (sc. iambo recte praeponitur): sic enim ultimus fiet dochmius:

in armis *iisdem fui*.'

Quintilianus igitur in pedibus enuntiatorum clausulis (cf. §. 93 init., 94 fin. sqq; clausulas autem summam postulare

diligentiam idem dicit §. 62 sqq.) aptis post dichoreum et paeonem enumerat dochmium (§. 97 init. cf. supra) et spondeum, cumque non solum referat, ‘quis claudat, etiam quis antecedat’ (cf. §. 94 fin.), eos quoque pedes addit, qui spondeo finali probe praemittantur: nempe creticum (cf. § 97 ‘optime praecedet eum creticus etc.’) et anapaestum (cf. § 98 fin. ‘potest, etiamsi minus bene etc.’ supra), tertio loco iambum citat spondeo praemittendum: de iambo enim s p o n d e u m non alium pedem praecedente cogitandum esse aperte coarguunt et ea quae adiciuntur ‘praecedet enim tres longas breuis’ ⏑ — — — et quae praemittuntur ‘sicut anapaestus et creticus’; de utroque enim s p o n d e u m praecedente modo uerba fecit, nisi quod creticum (§ 97) ante anapaestum (§ 98) tractauit. tum uero ad eas clausulas transgreditur, quae in iambum exeunt: ‘Et spondeus iambo etc.;’ iambum ⏑ — enim aut spondeus — — praecedere potest aut spondeus — — cum bacchio ⏑ — —; e bacchio autem et iambo d o c h m i u m conflari iam supra adnotauit, quem in clausulis stabilem esse simul addidit (§ 97). hoc illud est, quod enuntiata in spondeum et bacchium et iambum siue in spondeum et d o c h m i u m non male exire censet. spondeum autem in exemplo extremo uocabulo a r m i s, dochmium siue bacchium et iambum uerbis i i s d e m (trisyllabo a Quintiliano si non a Cicerone ipso usurpato) f u i contineri adparet; praemittitur uero i n, ut in exemplo proxime antecedente i i s d e m i n uerba otiosa sunt, ne Ciceronianis locis sua desit integritas; itemque in paragraphis antecedentibus non modo clausulae enuntiatorum, de quibus agitur, citantur sed tota enuntiata. — ceterum idem Studemund excidisse praeterea fortasse in loco, de quo modo disputauimus, exemplum iambi spondeum praecedentis e Cicerone petitum suspicatus est suadente ceterorum locorum analogia. quae cum ita sint laetor hunc locum olim procul dubio planissimum, usque ad id temporis uero turpissime deformatum et suspitionum tenebris inuolutum nunc amicissimi hominis subtilitate emendatum clara ueritatis luce conlustrari. quatenus denique Spaldingius per litteras a Grotefendio certior factus de ordine uerborum — quem ipse postea expressit — locum perspexerit equidem non satis adsequor.

Restat ut prodeant deinceps conplures posteriorum latinorum grammaticorum Diomedes Marius Victorinus Marius Plotius Rufinus. atque hi quemadmodum tempore inuicem sese excipiunt sic non pariter in dochmii ratione rectius aut absurdius interpretanda continua quadam serie processerunt. mirum potius secundum et quartum ueram, primum et tertium falsam de hoc metro concepisse et proposuisse sententiam. itaque si ex auctoritate et utilitate iudicium fieri oporteret qui aetate inferiores sunt eos primores locos obtinere par esset.

Diomedes cuius aetatem Keilius (praef. p. LV sq.) nullo modo certis finibus circumscribi posse arbitratur, quem tamen Osannus symbol. litter. II p. 339 sq. saeculo quarto adscribere conatus est, cum de reliquis pedibus plura tradidit quae maximam partem et a Varronis libris nescio quibus et a Suetonio petita esse probabiliter coniecerunt Jahnius et Keilius tum de dochmio perperam nonnulla hariolatus est. enumeraturus enim pedes heteroplocos pentasyllabos qui ʻsunt numero triginta et duoʼ bis dochmium semel hypodochmium memorauit. namque p. 481, 33 Keil: ʻdochmios, ait, ex duabus breuibus et longa et breui et longa temporum septemʼ. hic sine ulla specie ueri ut opinor Santenius ad Terent. Maur. adnott. p. 129 coniciendum esse censuit: ʻex breui duabus longis et breuibusʼ. — non multo post Diomedes p. 482, 8 K.: ʻdochmios per synzugian antistrophos ex breui et tribus longis et breui temporum octoʼ: melius hoc quidem: scilicet de systematis dochmiacis generis strophici locutus uidetur. et hanc quam descripsit dochmii formam legi supra iam demonstrauimus. postremum si p. 482, 7 ʻhypodochmios ex longa et breui et longa et breui et longa temporum octoʼ laudat parili fortasse ratione hi accipiendi fuerint atque hypobacchei qui ab nonnullis grammaticis pro palimbaccheis enumerantur i. e. bacchei si a tergo conputaris. simili quoque sensu olim quidem harmoniae hypolydia et hypophrygia a lydia et phrygia segregatae fuisse uideantur. ne denique mireris bis pedem eiusdem nominis diuersi ut ita dicam *σχήματος* a Diomede memorari: quippe qui item orthium laudet bis sed utrumque diuersae speciei. omnino uero haec enumeratio adeo non adcurate elaborata est ut

quamquam duo et triginta pedes initio indicantur tamen triginta modo unus sint. inde est quod in Keilii sententiam ire non possum: scilicet is ante 'hypodochmios cett'. eam excidisse statuit dochmii definitionem qua uulgo utimur. sed uel ex iis quae adtulimus non obscure intellegas tantam in Diomede inscientiam tritissimarum rerum metricarum fuisse, uix ut credam rectam dochmii definitionem umquam hic scriptam extitisse. tales uero quaestiones superfluae et inutiles sunt quia nihil iis proficimus.

Tritam tum definitionem exhibuit Marius Victorinus quarti saeculi grammaticus II 7, 7 Gaisf.: 'est autem antispasticum monometrum hypercatalectum quod et dochmiacum dicitur

uolat praepetes.'

quem eundem uersum ut exemplum dimetri antispasti hypercatalecti adsumpsit Atilius Fortunatianus II 13.

Deinde qui Marius Plotius (sacerdos?) saeculi quinti intellegi uoluerit ea quae apud eum VIII 3 et 4 leguntur parum prima fronte liquet. is enim loquitur ita: 'antispasticum penthemimericum dochmiacum Aeschyleum fit antispasto hippio secundo et disyllabo

quī sŏnāntē tē | cŏēgīt dărĕ'.

sed uide quam haec mire accidant: quippe neglecta inepta numeri descriptione qualem Marius exhibuit habes hic in priore parte exempli eundem uersum quem Diomedes supra p. 482, 7 hypodochmium nuncupauit. secunda autem pars non minus dochmius est quam uersus ille quo Hephaestio usus est *κλύειν μαίετε*. — paulo post Plotius VIII 4 addit haec: 'antispasticum dochmiacum Euripidium trimetrum catalectum fit antispasto ditrochaeo amphimacro

decreta mūsis corona pulchra nos'

quem uersum constare credimus proprie duabus dipodiis iambicis in quarum priore prima breuis tertii pedis per syncopam absorpta est.

Ut quam absolutissima omnibus numeris sit haec dissertatio prodeant etiam uersus aliquot quos Rufinus Antiochensis saec. V Prisciano paulo antiquior ('de metris oratorum') II 3 condidit:

'rhetoricas pulchre structuras dochmius ornat || principium baccheus erit concludet iambus. || aut uice mutata nomen mutabitur uni: || primus iambus erit cum finem creticus explet. || prima breuis longaeque duae breuis ultima longa || exemplumque artis dabitur 'respublica' nobis || quam Cicero casu genetiuo [1]) ponere gaudet. || hoc pede conposito laudatur fama pedestris || ut docet Ausonius orator Tullius ingens. || omnibus iste locis numerum pes efficit aptum. [2]) || longa breuem sequitur longam breuis adice longam || syllaba prima breuis cum syllaba longa secunda, || tertia longa breuis quarta productaque quinta || Tullius orator ceu multi dochmion ornat.' || Hoc unum addo Ciceronem initium orationis pro Valerio Flacco (habitae a. 59) a dochmio fecisse ut docet Vossius inst. or. IV 4, 4.

Tum nominandus est Bacchius senior. perperam in aliquot codd. 'Vacceus legitur cf. Bähr s. u. in Paulyi encyclop. — qui praecedentes quantum quidem coniectura probabili augurari licet aliquanto temporis interuallo post excepit. accuratius enim eius aetas definiri non potest ac si Meibomius minorem Ptolemaeo, Antonini Pii aequali fecit id quidem certo argumento nititur nullo. idcirco optimum uidetur eum cum Fabricio bibl. gr. III p. 643 ed. Harles. antiquiorem Manuele Bryennio qui circa 1320 p. Chr. floruisse uidetur ponere. illius in conpendiosa de rhythmis et metris doctrina in dialogi formam redacta — id quod nos adpellamus 'Katechismus' Westphal. l. l. p. 17 — quae inscribitur *εἰσαγωγὴ τέχνης μουσικῆς* inter rhythmos conexos (*ῥυθμοὶ συμπεπλεγμένοι*) paenultimo loco dochmii etiam hisce uerbis fit mentio: *ἔνατος δὲ δόχμιος ἐξ ἰάμβου καὶ ἀναπαίστου καὶ παιᾶνος τοῦ κατὰ βάσιν οἷον*

ἔμενεν ἐκ Τροίας χρόνον.

hic locus inde a Meibomio puto nemini satis perspectus est. primum cum pateat exemplum subpositum nullo modo tres illos pedes iambum anapaestum paeonem exhibere in multas partes confugere coeperunt interpretes nec tamen uerum eruisse uidentur. ad hoc ualde miror Meibomium adnott. tom. II p.

---

[1]) 'rĕīpūblĭcāe' dochmium efficit.

[2]) cf. Cic. or. l. l.

266 sanum hunc locum existimauisse: quam uellet explicationem ne uerbo quidem innuit: illud unum praecepit uiderent quorum interesset annon uerba exempli apud poetam nescio quem graecum extarent. post saeculum unum et dimidium Boeckhius successit et de integro hunc Bacchii locum sub censum uocare coepit (de metr. Pind. p. 152. cf. 26 et 28). sed *μύρον* ut aiunt *ἐπὶ φακῇ*: nimia qua solet elegantia et subtilitate rationem aliquam inuenisse uidetur cum nostrum uersum eodem fere redire statuit ac quem Aristidis laudauimus dochmium secundum. hic enim in altera syllaba admissa solutione illic reiecta prodit sane uersus cuius species nescio an similis sit superioris. uerumtamen sic uulneri non tam mederis quam emplastrum inponis. — etiam Santenius ad Ter. Maur. p. 131 locum conruptum esse arbitratus est: auxili nihil quod sciam tulit. — nouissimus denique hac in palaestra uersatus est Westphalius l. l. p. 207 qui nihil tamen dixit nisi parum liquere quid Bacchius cum his uerbis tum maxime *τοῦ κατὰ βάσιν* significare uoluerit. qua tamen auctoritate motus in textu p. 68 nomini *Τροΐας* diastolae notam adscripserit prorsus ignoro. — diuersam egomet inii rationem quam spero non infructuosam fore. namque operae precium uisum est perlustrare — obiter tantum — dochmiaca tragicorum systemata ex Meibomii illo consilio. neque spes me fefellit. legis in Euripidis Helena u. 650 sq. hos uersus dochmiacos:

πόσιν ἐμὸν ἔχομεν ἔχομεν ὃν ἔμενον
ἔμενον ἐκ Τροίας πολυετῆ μολεῖν.

quis quaeso ambigat ex hoc fonte petita esse quae subposuit Bacchius? plane expeditum ne nunc quidem locum esse nulli magis persuasum est quam mihi ipsi — nisi ad triste illud remedium — ineuitabile tamen delendi confugimus. namque ista quidem uis est quae metuo ne audacior sit quam quis probet, contendere uerba *καὶ ἀνάπαιστον* et deinceps *χρόνον* eici oportere: quo facto et metricum de dochmio placitum recte sese habet et uersus conmodissimum praebet exemplum. ac quis infitias eat uocem *χρόνον* in libello rhythmico ubi sexcenties legitur nullo fere negotio leuissima librariorum socordia ab alia in aliam columnam aut uersum migrare potuisse. denique de

dituisse lectionis ἔμενεν et ἔμενον ne uerbo quidem monendum puto.

Jam quid τοῦ κατὰ βάσιν sibi uelit nescio an melius ceteris perspiciam licet uel hic alii cuidam interpretationi locum relictum esse sciam. nempe satis perspicue ostenderunt Rossbachius et Westphalius (Rhythm. p. 151. — l. l. p. 257 sq.) basin numquam occurrere ea notione quam ei G. Hermannus addixit. ipse scilicet Bacchius βάσιν definiuit sic: σύνταξις δύο ποδῶν ἢ ποδὸς καὶ καταλήξεως. quid igitur obstat quominus hic coniunctio duorum pedum iambi dico et paeonis quemadmodum ipse dicit noster cognominetur κατὰ βάσιν? eodem etiam redit quod alias Bacchius ὅταν ait ὅλος ῥυθμὸς κατὰ βάσιν ἢ κατὰ διποδίαν γένηται et uti uno defungar exemplo u. schol. Aristoph. Nub. 652 qui laudat βάσιν χοριαμβικήν. — cumque illa conpositio apud alios plurimos dochmium efficere tradatur num haesitas mecum anapaesti mentionem ac postea χρόνον perperam esse inlatam? quod codices Bacchii pro οἷον praebent ὅν et in Euripidis priore quem exhibui uersu legitur ὃν ἔμενον moneo tantum, nescius hincne alia quaedam coniectura capi possit. sed hoc quidem incertum. nec nimis longe a consuetudine talium librorum recederet si ab alia manu Bacchii textus, ab alia exempla essent profecta. itaque si locum non sartum tectum dimittere cogimur speramus tamen fore ut uel paululum nostra opera processerit. —

Byzantinorum infimae aetatis et notae magistellorum addere placet Demetrium Triclinium qui ad Soph. Ai. 881 [θεᾶν ἢ ῥυτῶν], ἀντισπαστικὸν μονόμετρον ὑπερκατάληκτον ὃ καλεῖται δοχμιακόν et Tricham 30: δοχμιακὸν ὀνομάζεται παρ' ὅσον ὥς ἔνιοί φασι πλάγιόν τινα ῥυθμὸν ἔχει καὶ οὐκ ὀρθότατον. hi similesue unde metrica placita sumpserint dilucide explanauit A. Rossbachius ind. lectt. aestiu. Vratisl. 1858.

Antequam uero ad finem ueniamus liceat etiam Plotium p. 2643 P. adducere qui uersum Aesch. Sept. 287

μέλει φόβῳ δ' οὐχ ὑπνώσσει κέαρ

excitans ad genus iambicum relegauit quem G. Dindorfius iambico-creticum (metra Aesch. cett. p. 15) esse uoluit, Gaisfordius autem in adnott. ad Heph. p. 299 ed. I similem doch-

mio iudicauit. utcumque igitur uersum mensurus es, Plotius 'trimetrum, inquit, iambicum brachycatalectum (i. e. integro pede carentem) colurum quod Alcmanium nuncupatur.' attamen hinc quidem nihil deduci possit nisi forte in cogitationem incidis quemadmodum originem et incrementa paulatim ceperit dochmius: quae res indaganda prospere ut opinor successit ei qui recentissimus huic rei operam nauauit Bergkio. is enim in ind. lectt. aestiu. Hal. 1862 p. X ad Spengelii de uersibus Plautinis sententiam infirmandam dochmium a principio dimetrum bacchiacum catalecticum fuisse statuit.

Haec habui de dochmii qualis apud ueteres traditur locis quae dicerem. spero fore aliquando ut horis minus subcisiuis quam nunc uti possum denuo manum huic operae admouere liceat: postquam enim nunc critici potissimum munere functus sum ex capitibus supra propositis fieri fortasse potest ut noua quaedam de dochmii ui ac natura cum ex metricis rhythmicisue antiquis tum ex recenti quam nostra memoria recepit forma artis rhythmicae placita deducantur.

Jam finem facere oportet sed quod ille comicus praedicauit de Pericle (schol. Aristoph. Acharn. 529):

τὸ κέντρον ἐγκατέλειπε τοῖς ἀκροωμένοις.

id opto diuerso illo quidem sensu nec hercle nimis blando de me quoque dici posse. ut enim tota haec conmentatiuncula uix secus quam fragmentum cui adpareat, sic fragmentum quoque idque infelici sane casu mutilum extremum obtineat locum quod pertineatne ad dochmium annon in huius numeri naturam cadat plane ignoro. praemonendum quod iam supra memoratum est, dochmium *ὀκτασήμως* incedere. quae res et confirmatur ut uno exemplo defungar schol. uet. ad Aesch. Sept. 128. haec enim Aristoxenus in fine libri II rhythm. el. p. 304 Mor. = p. 37 Westph.: *τριῶν γὰρ λαμβανομένων λόγων ἐν τοῖς ἑπτὰ οὐδείς ἐστιν ἔῤῥυθμος. ὧν εἷς μέν ἐστιν ὁ τοῦ ἐπιτρίτου, δεύτερος δὲ ὁ τῶν πέντε πρὸς τὰ δύο, τρίτος δὲ ὁ τοῦ ἑξαπλασίου. ὥστε πέμπτοι ἂν εἴησαν οἱ ἐν ὀκτασήμῳ μεγέθει. ἔσονται δ' οὗτοι δακτυλικοὶ τῷ γένει ἐπειδήπερ........*

VITA.

Guilelmus Ludouicus Christianus Kuehne natus sum Id. Mart. MDCCCXLI Tanglimi in oppido Pomeraniae patre Ludouico dilectissimo a rege rationibus redituum conputandis praeposito, matre Albertina e gente Karowiana, optima, quo utroque adhuc superstite laetor et gaudeo. fidei addictus sum euangelicae. cum pater saepius locum ut in superiores escenderet gradus mutare iuberetur primis ego litterarum elementis inbutus sum Sedini ubi post gymnasium quod tum Hasselbachii nunc Heydemanni VV. Ill. floret bis interuallo quattuor annorum interiecto frequentaui. hoc enim temporis spatio in gymnasiis Stargardiensi et Tanglimensi, patre iterum sed ipso non inuito alio migrare iusso, uersatus sum quorum grata memoria in animo semper haerebit. maturitatis testimonio Sedinensi instructus in quo postremum biennium et sex menses litteris operam dederam, anno MDCCCLIX auctumno Bonnam, post annum Berolinum, denique duobus semestribus peractis Halas me contuli: in his tribus academiis philologicarum litterarum studium amplexus sum excepto primo semestri quo theologiam quoque primoribus labellis gustaui. praecipuam autem operam nauaui scholis horum VV. Ill.: Bonnae Jahn Lange Monnard Fr. Ritschl A. Ritschl Schopen Reifferscheid, Berolini Boeckh Geppert Haupt Kiepert Müllenhoff Raumer Trendelenburg, Halis Saxonum Bergk Bernhardy Dümmler Erdmann. quibus uiris omnibus optime de me meritis gratias quam maximas ago. triennio academico confecto munus magistri et educatoris in orphanotropheo Schindleriano Berolinensi obire coepi quo adhuc fungor.

THESES.

I.

Pugna anni a. Chr. 202 *rectius a Naragarra quam a Zama denominatur.*

II.

Sallusti mores ab auctoribus aequalibus et posterioribus non acerbius aut iniustius castigati sunt.

III.

Vitas quae sub Nepotis nomine extant ab ipso Cornelio Nepote Catulli amico scriptas esse cum Nipperdeio probo.

IV.

Vergil. Georg. III. 289 *sqq. solus uersus* 291 *(et uiridem — arena) spurius est.*

V.

In Soph. Ant. u. 409 *(Dind.):*

πᾶσαν κόνιν σήραντες ἣ κατεῖχε τὸν
νέκυν

articulus desinente rhythmo a nomine suo disiunctus offensione caret.